



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XIII. Vt non liceat clericis fenerari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

108 IULIVS CONCILIVM CONSTANTIVS^S IMPP.
P.L. CONSTANS

frangi, causa vero pro personis a statuto numero
audiatur.

ANNO
CHRISTI
348.

XII.

Antigonus episcopus Madurensis dixit: Gra-
uem iniuriam patior, & credo dolere sanctitatem
vestram contumeliam meam, & computare com-
munem iniuriam. * Optantius, cum se repræsen-
taret, pactum mecum habuit, & diuisimus plebes.
Manuscriptiones nostræ tenentur epittacia. Con-
tra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & v-
surpat populos, vt illum patrem, me vitricum no-
minent. Gratus episcopus dixit: Factum hoc do-
lendum est, vt in se illiciat populorum imperito-
rum animas contra disciplinam, contra euangeli-
cam traditionem, contra pacis placita. Nam si sibi
id posse contingere arbitraretur, nunquam profe-
sto in fratrem aliquis delinquisset. Vnde, aut inita
paetia suam obtineant firmitatem, aut conuentus,
si se non cohibuerit, ecclesiasticam sentiat discipli-
nam. Vniuersi dixerunt: Pax seruetur, paetia cu-
stodiantur.

XIII.

In 2. Atela-
tenf. Con-
cil. cap. 14.
Et in 1. Arc-
latenf. c. 12.

Abundantius episcopus Adrumetus dixit: In
nostro Concilio statutum est, vt non liceat cleri-
cis fenerari. Quod si & sanctitati tuæ & huic Con-
cilio videatur, præsenti placito designetur. Gratus
episcopus dixit: Nouellæ suggestiones, quæ vel
obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ a no-
bis, formam accipient. Ceterum, de quibus aper-
tissime diuina scriptura sanxit, non differenda sen-
tentia est, sed potius exequenda. Proinde quod in

IVLIVS CARTHAGINENSE. CONSTANTIVS
P. I. CONSTANS } IMP. IO9

ANNO CHRISTI 348. laicis reprehenditur, id multo magis in clericis oportet prædamnari. Vniuersi dixerunt: Nemo contra prophetas, nemo contra euangelia facit sine periculo.

XIV.

Gratus episcopus dixit: Iuxta statuta Concilii & meæ mediocritatis sententiam, placet facere rerum omnium conclusionem. Vniuersi tituli designati & digesti, teneant sententias suas. Sane credo vos retinere, multis Conciliis a patribus nostris & traditionem temerariam esse damnatam, & rebaptizationis impietatem esse puniendam: quas res etiam nostro Concilio credo iam terminum acceptisse. Reliqua vero, quæ vel facta, vel dicta, superius comprehensa sunt, vel * aliis Conciliis scripta, quæ secundum legem inueniuntur, custodire nos oportet. Si quis vero statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habēda putauerit, si laicus est, communione; si clericus est, honore priuetur. Vniuersi dixerunt: Placet placet. Gratus episcopus dixit: Supereft iam, vt placita omnium * nostrorum, quæ ad consensum vestrum sunt scripta, vestra quoque subscriptione firmetis. Vniuersi dixerunt: Et consensisse nos, Concilii huius scripta testantur, & subscriptione nostra consensus declarabitur noster. Et subscriperunt.

NOTÆ.

* *Concilium.*] Africana illa legatio Constantis imperatoris, qua Paulum & Macarium, ad conciliandam Africanam ecclesiam, schismate Donatistarum conuulsam, in Africam ablegauit, huic Concilio celebrando occasionem dedit, hoc modo: Post absolutum Sardicense Concilium, Gratus Carthaginensis episcopus catholicus cum triginta Africanis collegis episcopis in Africam reuersurus,

O iij